



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 50. Cajeta Consalvo capta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

profligavit, atque exiguo temporis spa- Sæcul. XVI.  
tio penitus fudit. A. C. 1504.

§. L.

*Cajeta a Consalvo capta.*

Consalvus hac victoria inclytus, cum *Marian, lib.*  
Galli necdum ob acceptam cladem 28. n. 35.  
linquentem animum revocassent, die pri-  
ma Januarii victricia arma Cajetam versus  
protendit, moxque exteriora urbis propug-  
nacula occupavit, nemine obsistere auso;  
quoniam vero urbis mœnia tormentis  
olim quassata, cum primo urbem obse-  
disset, necdum a Gallis refecta essent,  
Consalvus ruinæ hujus subsidio adjutus,  
primo Orlandum montem cinxit, ac sele-  
ctioris militiæ Hispanis irruptionem fa-  
cientibus, urbem expugnavit. Galli me-  
tu pene exanimati ægre admodum, tur-  
matimque in urbem sese recipiendi spa-  
cium habebant; mox enim Consalvus  
Saluciarum Marchionem ad deditionem  
provocavit, qui eodem adhuc die Victo-  
ris mandato paruit, ac nocte sequenti tres  
omnino Deputatos, nempe Divionensem  
Prætozem, Sancolumbum, & Theodorum  
Trivultium ad Consalvum ablegavit, ut  
hi deditionis pacta instruerent, ubi ali-  
quamdiu ultro citroque disceptatum est;  
Consalvus enim quosdam Neapolitanos  
captivos, præcipue Bitunti Marchionem,  
Mat-

**Sæcul. XVI.** Matthæum de Aquaviva, & Alphonsum Sanseverinatem Principis Bisignani **A.C. 1504.** Patruelem libertati restituere recusabat, caussatus, illos esse seditionis crimini obnoxios, hujus autem sceleris cognitionem, atque poenam Regi Catholico reservatam esse, testaturque Mariana, Gallos in hoc articulo Consalvi imperio cedere compulsos.

*Marian. ib.  
Guicc. l. 6.  
Paul. Jov.  
in elog.*

Tandem ergo ineunte Januario deditionis leges conclusæ, atque utrinque firmatæ sunt, perscriptis hunc in modum conditionibus: I. Albinus, ceterique omnes Galli jure belli capti in libertatem asserantur. II. Neapolitani capti nec morte plectantur, nec de eorum fato decidatur, donec Galliarum Rex missis in Hispaniam legatis, hisce Proceribus veniam, ac præteritorum oblivionem impetrasset. III. Præsidarii urbe excedant unacum armis, sarcinis, ceterisque militaris honoris insignibus, ipsisque liberum sit, terra vel mari pro eorum arbitrio e Neapolis Regno exire. IV. Incolis integrum sit in civitate morari, nec ipsis, nec eorum bonis ulla inferatur molestia, suisque privilegiis ac juribus, ut olim ante bellum, frui permittantur: cum vero articulus de Neapolitanis captivis Consalvo non satis perspicuus videretur, ipse hac verborum ambiguitate usus

usus illos detinuit, captosque Neapolin Sæcul. XVI.  
A.C. 1504.  
abduci, ibique in Castro novo includi  
jussit, quæ cavillatio æquitati haud in-  
nixa, ac tam strenuo Belliduce prorsus  
indigna fuit. Eidem quoque crimini da-  
batur, quod præcipiti nimium consilio  
Gallis deditiois pacta indulisset; enim-  
vero, si moram traxisset, Gallorum re-  
bus pessime constitutis, facile eos com-  
pelle potuisset, ut iniquissimas etiam  
conditiones pro ejus arbitrio illis impo-  
nendas acceptarent.

§. LI.

*Galli ex Italia pulsi, in reditu ferme  
omnes mortui.*

Postea deditiois legibus utrinque fir- Marian. 116.  
28. n. 36.  
matis, qui maritimo itinere in Gal-  
lias redire jubebantur, navigia in portu  
fluctuantia conscendebant, quos inter  
Albius cum ducentis militibus numera-  
batur, ceteri terra revertebantur, secu-  
ritatis literis fide dignissimis muniti; ast  
potissimi eorum itineris laboribus ac mi-  
seriis consumpti expirarunt, qui vero per  
mare navigabant, vario morborum ge-  
nere obruti, atque in Provinciam appulsi,  
ferme omnes perierunt: Salutiarum etiam  
Marchio Genuæ decessit; Sandricurtius  
vero, necnon Divionensis & Montanæ  
in Burgundia ditionis Prætores eadem  
mortis